

gentium quam Judæorum occurrit, hoc epiphonemate prosequitur Rom. XI. 33 *O profunditatem divitiarum & sapientia & cognitionis divina! quam imperferutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus? quis enim novit mentem Domini, aut Consiliarius illi extitit? Enim verò ratio certa reddi nequit, quare uni genti citius quam alteri lux Evangelii vel affulserit, vel ob ingrati animi morositatem adempta sit. Quæque in totis gentibus inter se comparatis ratio est, eadem etiam est singulorum ratione judicii divini. Non omnes mendaces eita pœna abripuit, ut Ananiam & Sapphiram Act. V. 5. 9. 10. nec omnes desperabundi in ipso momento, quò manus sibi violentas inferunt, ad fidem & sanam mentem revocantur, ut custos carceris Paulini Act. XVI. seq. conf. se places, Aegid. Hunnij Oper. Lat. Tom. 1. Tract. de Prædestinat. p. 818. seqq. it. Rungij Praelect. in Exod. p. 322.*

XIII. Sed immane quantum hallucinantur, qui Arcanis Dei Consiliis & Judiciis, nec naturæ nec gratiæ lumine unquam per-vestigandis, accensent bonam DEI voluntatem, quæ homines generaliter omnes, quibus Evangelium prædicatur, ad salutem ducere cupit, quippe, de qua non omisit Paulus omne consilium Dei aperire Act. XX. 17. nempe æternum salvatum iri, seu vasa gloriæ futuroseos, qui per gratiam perseveranter credunt Job. III. 36. VI. 41. Mat. XXIV. 13. Marc. XIII. 13. 1 Cor. I. 21. 1 Tim. I. 15. 16. II. Thess. II. 13. II. Tim. IV. 7. Jac. II. 5. ex adverso æternum damnatum iri, vel vasa ignominia mansuros, qualia sunt per naturam, qui finaliter impœnitentes & increduli sunt. Joh. III. 18. 19. Marc. XVI. 18. 19. Marc. II. 5. 6. II. Thess. I. 8. 9. Nullum ergo amplius de his in DEO absconditum seu occultum consilium, quod his regulis detrahat, & salutem nostram, qui illis innitimur, in periculum adducat.

XIV. Notent hic quam diligentissimè Calviniani, & credant ex toto corde, quæ Palatina Catechesis (quanti verò illa ab Ecclesiæ reformatæ membris æstimanda sit, ex Actis Synodi Dordrechtanae, Sessione CXLVIII pag. m. 433. patet) quæstione 31. profitetur: *Christus summus Prophetæ & Doctor, qui nobis ARCANUM Consilium & omnem Voluntatem Patris de Redemptione nostri patefecit. Germanicè sic: Christus ist der Oberste Prophet und Lehrer, der uns den heimlichen Rath und Willen Gottes von unser Erlösung vollkommenlich offenbahret.*